



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXX. De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperandæ gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

CAP. XXX.

De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperanda gratia.

FILI, ego Dominus, confortans
 in die tribulationis. Venias ad
 me, cum tibi non fuerit bene. Hoc
 est, quod maximè consolationem im-
 pedit caelestem, quia tardiùs te con-
 uertis ad orationem. Nam antequam
 me intentè roges, multa interim so-
 lacia quaris, & recreas te in externis.
 Ideoque fit, vt parum omnia profint,
 donec aduertas, quia ego sum, qui
 eruo sperantes in me: nec est extra
 me valens auxilium, neque vtile con-
 silium, sed neque durabile remedium.
 Sed iam resumpto spiritu post tem-
 pestatem, reconualesce in luce mise-
 rationum mearum: quia propè sum,
 (dicit Dominus) vt restaurem vni-
 uersa, non solùm integrè, sed & abun-
 danter ac cumulatè.

2 Numquid mihi quidquam est
 difficile, aut ero similis dicenti & non
 facienti? Vbi est fides tua? Sta fir-
 miter, & perseueranter. Esto longa-

H 2 nimis

Nahū I

Mat. I I

Matth.

23.

nimis & vir fortis, veniet tibi con-
 solatio in tempore suo. Exspecta me,
 exspecta: veniam, & curabo te. Ten-
 tatio est, quæ te vexat: & formido va-
 na, quæ te exterret. Quid importat
 sollicitudo de futuris contingentibus,
 nisi vt tristitiam super tristitiam ha-
Mat. 6. beas? Sufficit diei malitia sua. Va-
 num est & inutile, de futuris contur-
 bari vel gratulari, quæ fortè num-
 quam euenient.

3 Sed humanum est, huiusmodi
 imaginationibus illudi: & parui ad-
 huc animi signum, tam leuiter trahi
 ad suggestionem inimici. Ipse enim
 non curat, vtrùm veris an falsis illu-
 dat & decipiat: vtrùm præsentium
 amore, aut futurorum formidine,
 prosternat. Non ergo turbetur cor
 tuum, neque formidet. Crede in me,
 & in misericordia mea habeto fidu-
Pf. 90. ciam. Quando tu putas te elongatum
 à me, sæpè sum propinquior. Quan-
 do tu æstimas panè totum perditum,
 tunc sæpè maius merendi instat lu-
 crum. Non est totum perditum, quan-
 do res accidit in contrarium. Non de-
 bes iudicare secundùm præsens senti-
 re:

re: nec sic grauitati alicui, vndecum-
que venienti, inhærerere & accipere,
tamquam omnis spes sit ablata emer-
gendi.

4. Noli putare te relictum ex to-
to, quamuis ad tempus tibi miserim
aliquam tribulationem, vel etiam
optatam subtraxerim consolationem:
sic enim transitur ad regnum cælo-
rum. Et hoc sine dubio magis expe-
dit tibi, & ceteris seruis meis: vt
exercitemini aduersis, quàm si cun-
cta ad libitum haberetis. Ego noui
cogitationes absconditas: quia mul-
tùm expedit pro salute tua, vt inter-
dum sine sapore relinquaris: ne fortè
eleueris in bono successu, & tibi ipsi
placere velis in eo, quod nõ es. Quod
dedi, auferre possum: & restituere,
cùm mihi placuerit.

5. Cùm dederò, meum est: cùm re-
traxero, tuum non tuli: quia meum *lac. I.*
est omne datum bonum, & omne do-
num perfectum. Si tibi admisero gra-
uitatem, aut quamlibet contrarieta-
tem, ne indigneris, neque concidat
cor tuum: ego citò subleuare possum,
& omne onus in gaudium transmu-

H 3 tare.

tare. Verumtamen iustus sum, & commendabilis multum, quum sic facio totum.

6 Si rectè sapis, & in veritate aspicias, numquam debes propter aduersam tam deiectè contristari, sed magis gaudere, & gratias agere: imò hoc vnicum reputare gaudium, quòd affligens te doloribus, non parco tibi.

Ioñ. 16. Sicut dilexit me Pater, & ego vos diligo, dixi dilectis discipulis meis: quos vtrique non misi ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina: non ad honores, sed ad despectiones: non ad otium, sed ad labores: non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum, inpatientia. Horum memento, filii mi, verborum.

C A P. XXXI.

De neglectu omnis creaturae, vt creator possit inueniri.

DOMINE, benè indigeo adhuc maiori gratia, si debeam illuc peruenire, vbi me nemo poterit, nec vlla creatura impedire. Nam, quàm diu res aliqua me retinet, non possum libe-